


**05**

**A**

**1486**









ORATIO POSTERIOR *Zg*

ΠΑΡΑΙΝΕΤΙΚΗ

*Qua*

MEDIA QUÆ-  
DAM RECTE EDVCAN-

di Liberos: juxtà atq; Requisita dextrè & fructuo-  
sè informandi Iuventu-  
tem,

*In Actu investituræ meæ in medium adferre  
conabar.*

M. SEBASTIANUS NEUBAUERUS

Allstetensis Gymnas. Salder.

ConRector,



WITTEBERGÆ

ANNO M. DC. XIIIX.



*Stirpe, atq; ingenio nobilissimis, Morumq; elegantia cultis-  
sims nec non erudite pietatis ornamento probatis  
Adolescentibus,*

Johanni à Bodenhauseu / Generosi Dn. Crafft von Bodenhau-  
sen / Hæreditarij in Wölfingroda vnd Radis / &c.

Cunoni Haen / Fortis. Equitis Dn. Levini Ludovici Haen Hæ-  
red. in Seeburg / Lippe / Pasedan / &c.

Alexandro - Ludovico à Eüderis / Strenui Dn. Davidis von Eüde-  
ris Hæred. in Mackel / Dreb vnd Segleek / etc.

*Filijs florentissimis.*

**N E C N O N**

*Optima spei & præclara indolis juvenibus, solertia & amore  
Musarum commendatis,*

Balthasari Balduino; Rev. & Clar. Dn D. Frider. Bald. p.p. &  
Superintend. Generalis Witteb.

Danieli Sennerto; Excellentiss. Dn. Dan. Sennerti Facult. Med.  
D. & Senioris VVitteb.

Andrea Martini; Clariss. & Acutiss. Phil. Jacobi Martini Log.  
& Phil. Pract. P. p. Witteb.

*Filijs laudatissimis.*

**I V X T A Q V E**

Johanni Blumen / Prudentiss. Dn. Gregorij Blumen Reipubl.  
Palæo. Brandeb. p. m. Consulis.

Johanni Thuringio : Consultiss. Dn. Michaelis Thuringij  
ejusd. Reip. Brandeb. Cofs.

Petro Conovio, Rev. & Spectatiss. Dn. Petri Conovij Eccles.  
Brandenburg. Past. & Insp.

*Filijs optimis & frugi discipulis,*

*Isti in Museis paternis VVittebergæ : Hisce verò Brandeb. in Patria Sch.  
Salæ. pietati, linguis, artibus & moribus humanioribus  
sedulam operam navantibus,*


**Dei benedictionem & incrementum  
P. Autor.**



05 A 1486



Citissime, ut cetera omnia, nuper  
 loquebatur meus Plutarchus:



Citissime, ut cetera omnia, nuper  
 loquebatur meus Plutarchus:

καλὸς παρρησίας ἠσαυρὸς ἐγένετα. Prae-

clarum nempe ortum incompara-

bilem libertatis thesaurum esse agebat; Unde

elucet, juvenes politissimi, postremam laudem

non esse, antiqua familia illustriq; stemmate or-

riundum esse juxta ac celebritate fama incla-

rescere: major tamen laus & fructus efflores-

cit ex eruditione & virtute, quae nec eripi pos-

sunt, nec gravant circumferentem, dicente Sen-

nec a πολιτικωτάτω. Omnium verò maxima lau-

di vertitur, literis monumentisq; dignum cen-

setur, si qua in uno utrumq; & praclari ortus

decus & eruditionis ornamentum concurrant.

Haec cum Vestris Parentibus omnium ordi-

num celebratissimis incognita esse non possint,

per admirandam doctrinam, prudentiam &

multiplicem rerum peritiam, quae immortalis

tati sua nomina consecrarunt; rectissime fecisse

putandi sunt, quod Vos filios ex se genitos Deo de-

D 200

au  
 Ha.  
 adeo  
 &  
 led.  
 og.  
 abl.  
 gij.  
 lef.  
 Sch.





voverint, & manciparint Musis mansuetioribus, ut praecuntibus dextris Praceptoribus animos liberalibus disciplinis excoleretis, & excolendo *ἡσυχάζετε τὸ δυνάμει, ἡσυχάζετε, ἡσυχάζετε* h. e. optimos quosq; amulari possetis. Quam factum bene! Sed porro colligite thesauros Sapientiae, quae preciosior margaritis; cuius proventus melior auro, in cuius dextera est longitudo dierum, in sinistra divitiae & gloria, attestante Sapientissimo c. 3. Proverb. Cuius gloria sicupidi, cuius Sapientia sitientes, conemini viribus intentis emergere ad ardua, cum Deo & die ita emergetis, ut, si vel maxime non inter Supremos, cum Parentibus adoptemini, certe inter mediocres, nunquam inter postremos in Republica Literaria recenseamini.

Quam spem eximiam cum Parentibus Vestris feceritis, Pietatis seminaria imbiberitis, principijs elegantioris literaturae instructi fecundisq; irrigati Camænis sitis, adeoq; jamdum patriarum virtutum scintillae in vobis reluceant; equidem hac meâ dedicatione Vos in stadio virtutum alacriter currentes, magis in  
flame



flammare volui, ut amore literarum inducti  
tanto alacrius pergeretis & spem Parentum de  
vobis conceptam expleretis, quanto plus solatii  
& gaudij ad se exinde redundare confidant.  
Quo si contenderitis & vestigiis ipsorum lau-  
dabilibus institeritis, salva veritate dixerim,  
idq; citra adulationem omnem, vos ad latam  
vel hornam, quod ajunt, messem perventuros  
esse, effecturosq; ut Parentes humanis rebus e-  
repti, non erepti putentur, eò quòd sui similis re-  
licturi sint. Precor autem ipsis incolumitatem  
corporis, ut vivant diutius in gloriam Dei &  
educationem vestram! & quidni precer? O-  
mnes suo loco, tempore & modo mea studia ad-  
jutum iuverunt & promotum, adeo ut ingratis-  
tudinis notam mihi inurerem, si tacito id ore  
preterirem. Ex quibus duplicem non obscure  
colligitis causam, quæ me impulit, ut vobis  
singulis, ò iuvenes ingenii, epulum hoc care-  
thaceum instruerem adornaremque: Acci-  
pite ergò promittis manibus hoc, quicquid est,  
vestra aetate & ingenio, ut spero, non indis-  
gnum: Crescite surculi & assurgite in arbores  
justitiae, & fruges colligite vernante aetate &



instante messe, ut aliquando mergites plenos  
in cœli horrea recondatis. Dabam VVitte-  
berga, quò rationibus meis ita exigentibus de-  
nuc concesseram, 9. Kalend. Octobr. anno  
π̄ς τ̄ς λόγ̄ς ἐνανθρωπήσεως. c̄l̄o l̄c̄o. XIIIX.



ORA






## ORATIO II.

De

# Munere informandi ju- ventutem.

*Habita 4. Nonarum Decemb. anno 1617.*



Præter expectationem meam, Reveren-  
di, Clariss. Spectatiss. prudentiâ, consilio, &  
authoritate Graviss. Viri, Scholæ Salderianæ  
Ephori Vigilantiss. Mecænares & Patroni o-  
mni observantiæ studio suspiciendi: Tuq; stu-  
diola cohors Musis mansuetioribus dicata;  
præter expectationem, inquit, meam, non autem præter votum,  
multò minus citra Dei dispositionem & providentiam accidit,  
ut ab Amplissimo & Prudentiss. hujus urbis Palæo-Brandebur-  
gicæ Senatu superioribus diebus huc vocatus ad provinciam  
Scholasticam subeundam, proindeq; hoc ipso die, qui Investitu-  
ræ dictus est, juventuti pro more recepto, commendatus, & in  
officium immissus sim. Pro quo equidem beneficio Senatui illi  
meo cæterisq; Dominis Inspectoribus gratias ago, quas possum,  
maximas, eoq; adlaborabo quoad ejus fieri potest, ut spei de me  
conceptæ, si non ex asse, aliqua tamen ex parte, divinâ sufful-  
tus gratiâ, satisfaciam, & quantum in me erit virium, manibus pe-  
dibusq; faciam obnixè omnia, quæ ædificanda scholæ nostræ de-  
servire videro: ut videlicet juvenus meam commissa fidei rudi-  
mentis veræ pietatis, ex ipsis Israelis fontibus imbuatur, artibus  
& linguis excolatur, virtutumq; exercitijs expoliatur.

Quanquam verò Sisyphius labor, onusq; intolerabile &  
ferme Æternâ gravius sit, quod me tacente, intelligitis ipsi, hac

D ;

asta-



estate & tempestate iuventuri informandę suam elocare operã,  
quę in tanto rerum turbine penę est *αὐξήθη*, quam *αὐξήθη*  
*σίου* domestica indulgentia causatur & negligentia. Quia tamen  
sanctus labor est, Deoq; gratus, quod ex eo liquet, quod toties  
Scriptura curam puerorum habendam exhortatur, ex quorum  
ore Deus sibi laudem comparat; Non est, cur detrectemus onus  
hoc, cum mollibus quibusdam, qui in pistrinum scholasticum  
ne intrudantur omnibus modis elabendi rimas quærunt. Nos,  
Deo prosperate, nostro de fungemur officio tanto alacrius, quan-  
tò plus utilitatis ex scholis in omnes vitę ordines restagnat.  
Schola est officina animorum & secundum Basilium *ψυχῶν δι-  
δασκαλείον ἢ θεωγνώσεως παιδαγωγείον*, adeo, ut, qui Scholam  
ex humana locietate tollit, ipsissimum è cælo solem tollere vi-  
deatur.

Ut ergo sciatis, quorsum mea sit evasura Oratio, placet de  
ejusmodi Themate differere, quod ex ipsis quasi visceribus fluit,  
quod vobis auditu jucundum, mihi tractatu promptum, & cœ-  
tui huic fructuosum sit, nempe de modo educandi liberos & re-  
quisitis dextrę informandi iuventutem, ad quę officia fideliter  
præstanda non modò parentes, sed & præceptores obstricti te-  
nentur.

Quod dum facio, Auditores omnium ordinum honoratissi-  
mi, opus habeo vestro favore & benevolentia, ne percussus  
meru aut robore suffusus cymbam meam ad portum ventis mi-  
nüs secundis deducam. Adeste igitur æquis animis, & rem non  
ex dicente potius, sed dicendis assumate. Vosq; discipuli sua-  
vissimi, favete silentio, ut pernoscatis, quàm magni inter sit ju-  
ventutem a tenera statim ætate rectę educari in Ecclesię incre-  
mentum & Reipub. emolumentum.

Hic verò non diffiteor, quàm difficili in causa versetur me-  
us sermo, cujus si vela pandere, & ut Poeta ait; Classibus austros  
dare vellem, proh Deum immortalem! in quàm vastum pela-  
gus abriperet. Sive enim difficultatem educandi, sive laborio-  
sitatem, sive etiam uberrimum fructum exinde efflorescentem  
spectemus, ubiq; tantus dicendi campus sese aperit, ut vel De-  
mosthenis grandiloquentia, vel Alcibiadis aureum Orationis flu-  
men,



men, vel Tullij facundia, huic materiei satis enucleandæ viz  
sufficere possit. Quid ergo? Tantum præstabitur quantum  
balbuties linguæ concedit; imò quantum per Numinis divi-  
ni auxilium poterimus. Quocirca mihi obliquis anfra-  
ctibus rem juventutis causa mihi destinatam aggredior.

Deus creator universi, ut in prima creatione in hunc  
mundum divinæ lucis radios sparsit, quorum ope ipsum Opifi-  
cem cognoscamus & beneficio linguæ, quæ mentis character est  
animi nostri cogitata in apicum proferamus: Sic *σοφίῳ* *Φυ-  
σικῶ* erga liberos genitoribus in sevit, impressit, inculpsit;  
hocq; Ipso testatum fecit luculentè, se tanto ardentiore amore  
tenellos complecti puerus quanto calidiore affectu parentes  
filios ex suis lateribus genitos protequuntur, inque amplexum  
suum colligunt. Hunc ergo paternum affectum & bonitatis  
scintillam, quam Deus protoplastis implantavit, parentes ex  
animis ne extinguant, sed veluti fax accensa ardeat eorum,  
amor in sobolem, quam veluti donum gratuitum acceperunt  
ab eo. Hic ut jubet reverti filios hominum; ita quoque hæc  
preciosissima *κειμήλια* domestica, si pro donis non agnoscant  
in pietate non erudiant, Deo non offerant eorumq; curam  
non suscipiant, ad se recipit, & sic auferendo spiritum filio-  
rum, in acerbissimum luctum parentes conjicit: Ex quo con-  
sequitur parentibus omninò incumbere, liberos ex lumbis su-  
is genitos amare, nutrire, educare & informare Dominoque  
denuò dicare debere; quemadmodum Hanna pientissima Ma-  
trona effudit animam suam coram Jehova, vovitque votum,  
quod, si probrum sterilitatis à se auferat Dominus, & donet fi-  
lium, redditura sit eum Jehovæ omnibus diebus vitæ ejus, ut  
oblatus Domino deserviat Ecclesiæ Scholæ vel Reipubl. cujus  
plantandæ, propagandæ, gubernandæque causa in terris genus  
humanum conservatur. Nutrire ergo suos filios lege na-  
turæ obligantur Parentes. Siquidem qui suis de necessario  
victu & amictu non prospicit, deterior est ethnico & fi-  
dem abnegavit. Nam & Aristoteles à distincta veri & viven-



tis Dei notitia alienissimus, tamen patres vocavit autores vitæ,  
 sustentatores corporis & formatores morum. Quid autem  
 pater, si originem spectemus hebraicam **אב** aliud est, quam  
 qui bene vult suis, affectum & propensionem & desiderium  
 opitulanti habet in filios. Imò si liceret conijcere, κατ' ἀναλο-  
 γίαν dicerem parentem eum, qui amore & benevolentia filios si-  
 bi reddit parentes seu obtemperantes. Ut ergo res tantò evi-  
 dentior evadat, quantò pluris interest, illam ex suis fontibus de-  
 libari, aliorum insuper notationes notabo, qui derivant vel ἀπὸ  
 πάντα τηρεῖν, quæ tamen gloria Patri cælesti competit, vel πα-  
 δας τηρεῖν Liberis ex suis lumbis natis alimenta subministrare,  
 quæ προση non postremum patris requisitum est, id quod suo  
 fundamento non caret, siquidem bona paterna jure natura ce-  
 dunt filiis, quo nomine Paulus jubet Patres thesaurizare filiis,  
 non filios patribus; (quanquam etiam filij Parentibus lenio con-  
 sectis sua debeant ἀντιπροσημα, ἀντιμήτερα, ἀντιπροσημα, & ἀ-  
 μιβλιώ quam suadet νόμος παραγωγικός, observatus in ciconijs,  
 qui senes Parentes subvehunt humeris ad pastum) imò natura le-  
 gibus cautum est, ut, qui vitam communicavit, etiã vitæ necessariū  
 victum & amictum suppeditaret, nisi velit naturam corvi in-  
 duere, deserere hominis, imò bestiis deterior audire. Quis enim  
 ignorat, qui vel per transennam ζωοχαρίαν contemplatus est,  
 mirabilem brutorum quorundam erga pullos vim & insitum  
 amorem? Nihil dicam de Ursa, quam fœtum suum cervice & ore  
 circumferre orbamq; catulis vehementer irasci, quod vel ex  
 2. Sam. 17. collectu facile est; nihil dicam de Panthera, quam rap-  
 torem ad aliquot passus è vestigio sequi; Nihil de Pelicano  
 quem pullos suos non sine vitæ dispendio nutrire; Nihil de Del-  
 phine fœmina, quam, ne fœtum in discrimine vitæ deserat, unã  
 cum ipso capiendam se offerre dicunt: Et sexcenta alia produ-  
 cere possem, nisi via progressui sternenda esset. Ex quibus omni-  
 bus videre est, parentes πολυτέκνως jure naturali, liberos ex se  
 genitos teneri alere omnes, si vel quinquaginta sibi nascerentur,  
 ut Priamo Regi Trojanorum (Johanne Bocatius & Pausania te-  
 stibus) vel septuaginta, ut Gideoni Israelitarum Principi, eò  
 quod πολυτεκνία Dei donum, ἀτεκνία probum in populo Dei  
 habita sit.

iudicium 8,  
 7. 30.

Ne



Ne verò defraudarentur pusilli, impuberes, orphani, quos  
pro imperscrutabili suo consilio germanis parentibus privat,  
insuper quædam *εργῆς Ουσικῆς* semina implantavit illis, quos  
loco parentum sultituit: Quemadmodū ergo in politico statu  
Dei appellationem, sibi alias soli competentem, Magistratui ra-  
tione divini officij, quo fungitur, communicat; Ita in statu Oe-  
conomico Patris nomine dignatur illos, qui vel adoptione sunt  
patres, ut tutores: vel dignitate, ut Principes & Dynastæ, vel æta-  
te, ut senes, vel beneficio, ut benefactores, tam corporum, quam  
animorum, quibus accensentur Magistri ac Præceptores. Hos  
omnes amabili isto titulo insignitos scimus ex eo, quod educa-  
tio & informatio ipsis incumbat. Hos verò inter omnes primas  
meritò sibi vindicant parentes naturales quorum est, filijs suis  
cum primo quasi lacte nutritis pietatem instillare, succo veræ  
agnitionis Dei, cæterarumq; virtutum Deo placentium eos im-  
buere, imprimis inculcate Catechi mū B. Lutheri puram & ner-  
vosam *ὁρθόδοξίαν* Christianæ *συνταγμα*, & Bibliorum Compē-  
dium. Idque fiat pro modo, quem præscribit Doctor Gentium,  
*ἐν τῇ παιδείᾳ καὶ ἰσθυσίᾳ υἱῶν*. Ubi tamen probe attendendū  
est, ne pueri provocentur ad iram, hoc est, ne parentes exsuant  
affectum paternū, ne nimis rigidi & microsi sint erga liberos, o-  
mnia ad vivum resecent, fustibus & loris, malè tractando mo-  
dum corrigendi excedant, & ut *ἀστυγοί*, immanesq; Tyranni in  
dignis modis ad necem usque cædant, quam Tyrannidem pro-  
hibitam esse sacri testantur codices.

Nec verò audiendi sunt, qui prætendunt antiquissimum  
Romanorum morem, quod penes Patres familias plena vitæ ne-  
cisq; potestas fuerit, idemq; jus pertinuerit ad eximiam reve-  
rentiam conciliandam autoritati Patrias familias, spectavit etiā  
ad præclaram familiarum integritatem, ut corruptelæ ac dede-  
cora earum privatim tollerētur, ne publicā vindictā labeculam  
reliquis familiaribus adspargerent. Ut ut autem hæc ratiunculæ  
aliquid momenti videantur habere in foro politico: Nos tamen  
sacris edocti literis compertū habemus, patribus potestatem i-  
ta grassandi & sæviendi in propria viscera esse ademptam, sicut  
auspiciam parenti jus gladij in liberos, ut Magistratui in reprobos  
E conced

Danavi in  
Eth. Chr.

Eph. 6.

Exod. 22.

v. 20.



concessum legimus. Quo nomine universus populus detestatur  
Roman. 13. consilium Saulis de interficiendo filio Ionathano his verbis;  
1. Sam. 14. Absit ut moriendo moriatur Ionathan, vivit Iehova, si cecide-  
rit capillus capitis ejus in terram. Quando ergo Paulus τὸ πρῶτον  
ἐγενήθη in allegato dicto interdicte, ne quidem savitiam, seu  
nimiam severitatem parentibus concedit, tantum abest, ut jus  
necis in ipsos permittat. Eò usque ergo se extendit patria pote-  
stas in liberos, quo usque filialis reverentia & observantia. Si  
quidem illa nihil aliud est, quàm vinculum pietatis, quo filij  
parentibus obstringuntur ad officia humanitatis & gratitudinis,  
quæ morosa crudelitate, & crudeli morositate parentum exspio-  
rat. Quin verò meminerint hîc parentes illius Comici: pro  
magno delicto paululum supplicij satis est patri.

Præterea non obstat, quod regerunt isti ἄσσοι, se tam immo-  
rigos, desperatos & perfrictæ frontis nebulones alere non pos-  
se, se tales patrimonij gurgites balatrones ac Apitios velut ἐτώια  
καὶ ἀχρὴ ἀεζῆς domo ejicere malle, quàm istos ceu angues  
nocivos in sinu fovere. Sed falleris præpostero tuo judicio quis-  
quis es. Proprium enim ejus est, qui gignit, ut etiam alat, quam  
rationem mihi meus Plutarchus nuper suggererat, dicendo:  
Genes. Quod idem immotis & invictis argumentis probatum darem, si  
res posceret. Cur enim Adam domo non excludit Cainum ca-  
pitali odiò ex ardescentem in Abelem, quem ob internecionem  
funestam optimo jure potuisset igni & aquâ inredericere?

Silentio prætereo Jacobum Patriarcham, qui, cum nefari-  
os adulterij scelere pollutos filios, homicidij reos, urbis vastatores  
Gen. 35. e familiâ suâ potestatem haberet in exilium mittendi, non  
v. 22. tamen misit: quia scilicet ab animo suo paterno impetrare non  
Gen. 34. poterat, ut flammam amoris sibi insiti exstingueret.  
v. 26.

Taceo Regem Davidem, Prophetam & Virum secundum  
cor Domini, qui ob tragicum Absolonis obitum, (cum  
de quercu suspensum inter cælum & terram telis missilibus con-  
2. Samuel fossum, auditu perciperet) satis amarè & lugubriter operta fa-  
18. 18. cie deflet, ipsiusq; filij licet degeneris, vitam redimere suâ optat.  
Unde elucet σοφὴν naturalem, æquè ad probos, atq; impro-  
bos & immorigeros sese extendere adeoque non malitiæ de-  
fensionem ab istis Patriarchis fuisse susceptam, nec inobedi-  
entia;



entiaē patrociniū, absit hoc per omnem modum: *ἔτι* *ἀξίωμα* illud; amor descendit, non ascendit, *ἀξίωμα* *πῶς* com-  
perimur, longeque calidiorē esse patrum in filios, quam fili-  
orum in parentes affectum, quem Timantes, pingens Iphigeniæ  
Filiaē Agamemnonis mactationem, non aliter potuit exprimere,  
quā pingendo patrem involventem caput in pallium, innuens  
*σοφῆν* parentū & *σοῦ* *πάτριαν* erga filios satis explicari nō posse.  
Cui patrociniatur Sozomenus referens historiam de duobus fra-  
tribus captis à Theod. Imp. quorum pater pro filiorum vita re-  
dimenda trucidandum obtulit, omnesque insuper facultates &  
opes interponere non dubitavit. Data autem ipsi optione, ut al-  
ter utrum filiorum eligeret manu mittendam, Ecce! *Φιλόσο-*  
*φος* pater & gaudio perfusus non poterat sibi temperari a lacry-  
mis, diu tergi versabatur, utrumque Filium irretortis oculis ob-  
tuebatur, ore ori admoto exosculabatur, victus verò amore u-  
triusque neutrum eligere poterat. Tantus est amor parentibus in-  
fusus erga Filios, qui, ut exemplo Absolonis ostensum est, et-  
iam erga malæ frugis filios sese exserit.

Quemadmodum verò nimia austeritas ejusmodi cycloporum  
Euripideorum liberos magis perturbat, obstinatiorē reddit,  
inque varias cogitationes distrahit, ut filiali fiduciā depositā, ser-  
vilem metum concipiant, nec tutum ad parentes sibi patere re-  
gressum conjiciant. Ita è contrario nimia mollities, & delicata  
educatio, meretur reprehensionem, & sexcenta mala *ἀναφαί-*  
*ρετα* & *ἀνδρίτης* secum importat. Siquidem  
Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

*Maturan*

Nec raro reperias Matres, quæ si filiolos delicatos istos marty-  
res, vel leviter offensos, vel moderate à Præceptoribus emen-  
datos inaudiunt, illos in sinum flentes recolligunt, & queru-  
lantur misericorditer de injuria ipsis facta, immò resolutæ ipsæ  
in lacrymas clamitant: O indignum facinus: O Præceptorem  
importunum! Imò istæ generosæ matres sæpè irarum habenas  
(quod Poeta ait,) effundunt omnes, quas semel conceperunt,  
illas, postea plumbeas gerunt: adeò utcum Comico conqueren-  
dum sit: Domi semper lenitas, semper indulgentia.

Hanc verò lenitatem & molliem inultam non abijisse, sed  
severissime improbaram loco trecentorum, sufficiat Exemplū  
illud de venerabili isto sacerdote & seniore Heli, qui plus  
quā



quam decebat, nisi indulgebat, nec unquam propter enormia  
& scandalosa delicta subinde sibi ad aures dimanantia, eos du-  
riusculè alloquebatur: nec conquerentibus de illorum petulan-  
tia fidem simpliciter habebat, sic molliter increpans nauci ne-  
bulones: *Solts wol wahr sein / lieben Söhne / wie die Leute von  
Euch reden / ich achte selbst / es sey eine zündstigung / das man euch  
so vbel nachredet ic.*

*Leech. 3.*

Hic est ille Heli, ad summum Sacerdotalis dignitatis cul-  
men seu fastigium in Siloh evectus, quem Deus speculatorem  
domui Israel dederat. Hic Heli alios docens, ipse reprobarus est.  
Prædicabat non esse furandum & ipsius filij fuscina, furtoq; au-  
ferebant carnes & pinguedinem Deo destinatam, eamq; de Chy-  
tropode nondū immolatā devorabāt & facti sunt sacrilegi ligu-  
ritores. Ideò propter sacrilegium hoc & indulgentiam nomen  
Dei malè audijt inter gentes, ut dicendo diceret Iehovah, se vi-  
rum hunc, quò sublimiore fungeretur officio, eò atrociorè pæ-  
*s. Sam. 4.* na affecturum. *Πανολεθείας* ergo domui suæ imminentem eva-  
dere non poterat Heli. Siquidem uno die filijs Hophni & Pine-  
has in prælio cæsis privabatur: Eodem die audiebat cum gemitu  
& pudore Israelitas in fugā à Philistæis conversos; eo ipso die  
audiebat arcam fœderis, gloriam Domini, traductam in castra  
gentilium, quā audita fama, cecidit de throno retrorsum, &  
confractum est occiput ejus.

Audite parentes molles & exhorrescite, audite omnes, qui  
prope estis, & qui procul: arrigite aures, quorum domos Deus  
replevit *πολυτενία*, benè educate filios vestros, ne per in-  
dulgentiam congratulemini vobis de petulantia ipsorum, sed  
maturè, maturè inquam, flectite cervicem eorum, & freni pe-  
tulantiæ ne laxetis. Intelligite hoc, qui tremenda Dei judicia  
perhorrescitis, ne domus vestra, quam Dominus ædificavit, in-  
gratitudine vestra destruat: Sicut Heli domus pessum habet.

Cæterum etsi hæc, quæ dixi magna sunt de domestica e-  
ducatione, magniq; interfit, illam sartam rectamq; conservari.  
Longè verò pluris interest, publicam in Scholis disciplinam,  
non labefactari, nō collabi, quæ de re jã nō nihil dicturus. Præter  
quæ ergo quod Parentes domi suæ faciant officiū, etiam illud  
su-



Superaddant, ut Iuventutem suam præceptoribus in scholis sub-  
mittant, idq; ne negligent, Dei mandatum efflagitat, qui ad se  
pueros jubet adduci, quod non modo in Baptismate fit, quo li-  
bro vitæ inscribuntur, sed & in Scholis, ubi in Spiritus S. officinis  
in pietate & doctrina erudiuntur, ut hac ratione Deus sibi lau-  
dem ex ore illorum perficiat, ut excrescant in eminentes arbo-  
res justitiæ, quibus cælum plantetur. Cujus sanè juventutis  
præconia parentes & Præceptores in suis Conclavibus & Mu-  
seis majusculis literis depingant, ut quantus ipsis Thesaurus sit  
commendatus in docenda pueritia, quotidie ob oculos verse-  
tur, ne unum de istis offendant vel negligent, cujus potuissent  
provehere conatus, memores illius, quod Theander iste B. Lu-  
therus ait, non minus vitium esse negligere puerum, quam  
virgini pudicitiam eripere.

Nullū proinde mun9 Reip. adferre vel majus, vel melius pos-  
sumus, quam si doceamus & erudiamus juventutē, citante D. Le-  
onih. Huttero ex M. Tullio, qui addit, hisce præsertim moribus  
& tēporibus, quibus ita prolapsa, ut omniū opibus frenanda &  
coercenda sit. Cū igitur tā grave humeris Præceptorū incumbat  
onus, quod multi in se suscipere detrectant, plures eidem fe-  
rundo se impares æstimant; plurimi, qui pares essent, exiguo  
deterriti Minervali, illud subterfugiunt, probe circumspicien-  
dum erat, & cogitandum de medijs sublevandi ipsos parte hu-  
jus oneris, quod partim *ἐπιμελίες* Dominorum Inspectorum  
relinquendum, partim discretioni Præceptoris committen-  
dam, ut is telam informationis dextrè exordiat, autoritatem  
suam salvam retineat & illæsam; quod obtinebit facile, si  
non *παχυλῶς*, sed *ἀνεβῶς* & præmeditatè doceat: si  
ordine ac methodo concinna in docendo utatur, si deniq; ipsa  
vita verbis respondeat & doctrinæ: Si ante omnia pias pro disci-  
pulis sibi commissis fundat preces, ut Deus ipsorum corda Spi-  
ritus Sancti gratiā illuminet, & emolliat, quo sese dociles mo-  
rifero q; præbeant, disciplinæ jugum ne excutiant. Si dicat  
*ἀρετήματα παιδῶν*, hoc est, faciat discipulos *ἐπιπαιδευμένους καὶ*  
*ἐπιήκονους* & domum remittat meliores, a ruditate libera-  
tos, quod fit, si prima rudimenta purioris doctrinæ Christi in-

Marc. 10.

Exod. 32.

Psal. 8.

Esaiæ 61.

Tom. 2.

10.



culcer, eaq; ex limpidissimis Israelis foribus juxtaq; libellis Syn-  
bolicis & methodicis Augustanae Confessionis & formulae Con-  
cordiae invariatae, eosq; libros ad lydium lapidem librorum Can-  
onicorum Sacrae Scripturae exigat. Id quod hodierno tempo-  
re, quo plenis quasi catarrhactis irruunt, & ceu carcinomata  
obrepunt schismata, & periculosi defectus, maximè desideratur.

Quare ante omnia jaciendum est fundamentum & præ-  
munienda est juvenus incauta. Quae benè jacto, à regio verita-  
tis agnitæ tramite ad errorum devia, & obliquos viarum flexus  
se abduci non patietur, adeò ut ipsi religio sit à religione ortho-  
doxa Lutherana vel latum pilum discedere. Accedat porrò in-  
artibus & linguis fidelis informatio: nam ut de artibus nihil di-  
cam, præter Latinam etiam Græca lingua, & pro captu ingenio-  
rum Hebræa quoque ex colenda est: hæc propter sanctitatem  
mysteriorum & divinorum Oraculorum intelligentiam: illa ob  
sermonis Græcanici elegantiam & copiam atque ubertatem ad-  
mirabilem: maximè verò ob multiplicem usum, quem præstat  
in omnibus verè facultatibus, ut, qui vel in Theologica, vel Me-  
dica, vel Philosophica Facultatibus felices progressus facere ve-  
lit, cognitionem linguæ hujus sibi acquirere necessum habeat,  
nisi velit illotis manibus & pedibus, tam in Novum Test. quod  
græcè extat, irruere, quàm in Scriptis Patrû, Medicorum, Philo-  
sophorum & Oratorum tanquam in ignota Sylva vagari. Et quã-  
vis suam mercantur laudem præceptores, qui non modò artes  
dicendi, seu instrumentarias, sed & viam progressui sternentes,  
reliquas Philosophiæ partes delibant. Tantum tamen abest, ut  
ij tempus inutiliter perdant, qui studium linguarum cardinali-  
um adurgent, ut potius suo loco commendationem mereantur  
eximiam. Est enim in his eligentia splendor, gravitas, varietas,  
antiquitas & sanctitas. Duo enim illa sunt, quorum in Repub.  
literaria maximè indigemus. Voces & Res; illis, ut fiamus docti,  
his, ut simus. Quemadmodum verò disciplinæ subalternantur,  
& altera alteram excipit: Ita linguarum cardinalium magna est  
affinitas, adeoq; ceu ansulæ in cathena cohærent.

Sed missis hisce pro ratione temporis ad exercitia virtu-  
tum, cultumq; honestorum morum accessum facio, tritum e-  
nim est:

*Qui proficit in literis,  
Et deficit in moribus,*

*P. W.*



*Plus deficit, quam proficit.*

Quare ne calcei curam gerat, pede neglecto, id pensi habeat Præceptor, ut non modò nihil committat ipse incurrens in oculos tenellæ pubis contra honestatem & decorû. Ipsius enim sanctitas teneriores pueros ab injuria tuebitur, proveciores à licentia deterrebit gravitas & intra rationis gyrum continebit. Sed & sæpe præcepta de elegantia morum & quæ ad vitæ rectè componendæ modum spectare videntur, proponat. Cujus farinae materiam nobis suppeditat Erasmus rudis ætatis informandæ artifex: Plutarchus aureolis *γυναικῶν* locupletissimus. Quales ergò vult esse discipulos, talis & ipse sit, bono ijs præluceat exemplo. Ut enim Heliotropium, si fides habenda Plinio, solis cursum sequitur & quocunq; ille se moveat, eodè & illud deflectit: ita ceu lumen quoddam è vestigio discipuli æmulantur Præceptoris verba, mores, gestus, incessum, manum.

Porro & illud prudentis & discreti est Præceptoris sese ad captum puerorum attemperare, & discrimen constituere inter incipientes, proficientes, adultos, obtusos, idq; operam dare, ne illi horum tarditate negligantur. Paribus namq; passibus omnes ambulare nequeunt, nec ex omni ligno sculpiri Mercurius, neque omnes ad astra seu Minervam nati sunt, sed bona pars ad rastro seu stivam inclinant ad boû haras amandâda, nõ verò Doctõrû Cathedris præficienda, quæ discrepantia ingeniorû à Spiritu donorum proficiscitur, ut n. nuspiam duæ duorum hominû facies exactissimè convenientes reperiuntur; Differunt n. vocibus, staturis, gestibus, crasibus, *ἀνθρώποις*; docente D. Wolffg. Franzio in Explic. Num. Ita etiam dissident donis internis, genijs & ingenijs, dotibus & moribus, *συνέσει* & *δυνάμει* *ἐπινοητικῆν*. Quæ cum ita sese habeant, non poterit stricto jure procedere & æquè omnibus idem injungere, vel idem ab omibus repositere. Verum hæc non dicuntur in gratiam malè feriatorum & fratrum ignorantia, qui proposito Consilio & datâ operâ pigritiâ sordescunt, quivè remisso laxius freno, ut sternaces equi omne excutiunt jugum. Si verò maximè nonnulli frenum mordendo, disciplinae sese subducereut & lenitate Præceptorum abuteretur, eorum tantò gravius frenanda & coercenda esset effecturata malitia: neq; hîc in gratiam delicatulorû illorû Parentû in



Se ali quid desiderari animolus Praeceptor patiatur. Si enim mi-  
nis deterritus, copiam liberius vivere concedat, metuendum  
sibi, ne omnes licentia evadant deteriores, neve collapsa disci-  
plina, auctoritati suae aliquid derogetur. At si maxime cum inge-  
nijs conflandum foret servilibus, frigidis & Phrygijs, servili-  
ter quin tractet, à verbis in verbera erumpat, vix sibi tempera-  
bit, adhibita tamen moderatione, ne pugnas continuo in malis  
ipsorum hæreat, aut fasces in capitibus. Proin animadversiones  
illæ non ex affectu iracundiæ, sed emendationis causa, efflagi-  
tante ita inevitabili necessitate, graviter adhibeantur. At hic  
pueri dicitur ne devoveant bonum ipsum Chrysippum, qui, si  
Quintiliano credimus, fasces illos in scholas primum introdu-  
xisse perhibetur. Non est, cur succenseatis Chrysippo, ut po-  
te cujus non tum in rerum natura facta esset mentio, cum disci-  
plina hæc & fasces hi parentibus & Praeceptoribus in manus tra-  
derentur. Qui ne in Heli Sacerdotis molliem incidant, ipsdem  
ne parcant, cervicem filiorum mature flectant, ne in pravum  
habirum indurescant, Secus qui faciunt, oderunt filios & janu-  
am ipsis bipatentem aperiunt ad nequitiam, & ita connivendo  
augent illorum multiciam, quæ alias ipsorum cordi est alligata,  
quam disciplina fugatur teste Salomone. De frugi discipulis  
facie ac ingenio liberali præditis alia est ratio, qui spontè cur-  
runt, non adhibito calcari & si maxime languescat fervor, ex-  
citandus est duobus huic stimulis, pudore & laude unde Comi-  
cus: Erubescit, salva res est. Et alibi idem scitissime:

**Prov. 22.**

Pudore & liberalitate liberos

**Adelph.**

Retinere satius esse credo, quam metu.

Hi sunt Φιλομαθεῖς, Φιληκοὶ καὶ ζητητικοί: quæ tria in  
præclaram indolem cadunt. Huc facit illud Aristotelis consilio-  
um, suppediratum discipulis, egregios in literis progressus fa-  
cturis, quos allequentur facile, si præcedentes strenuè sequan-  
tur, subsequentes non morentur. Quod ut faciant discentes,  
non mediocre calcari ipsis addent γυμνάσματα μαχητικὰ καὶ  
ἀντιμαχητικὰ, si nempe alter alterum in certamen provocet,  
& de sedè honoratiore curret. Et hæc est illa ratio satis convin-

gens



ens Scholas publicas præferendas esse privatis, quæ contro-  
versia à Politicis in utramq; partem solet ventilari & agi: Sed, si pol. c. 7.  
veritari patrocinandum est, publica institutio privata omnino  
multum derogat, quippe quæ ad modestiam confert: sibi enim  
nimium tribuit, qui se nemini comparat. Quin & laudationes  
& vituperia in publica Schola ad majorem faciunt diligentiam,  
& æmulationem. Etenim

*Cum bove fortis equus resecato carcere currit,*

*Cum quos prætereat, quosve sequatur, habet.*

Confert porrò ad prudentiam: Varij enim hominum mo-  
res in publicis congressibus dignoscuntur, & amicitia vinculū  
nectit, & obligat adeò, ut nulla amicitia putetur esse firmior,  
quàm quæ in Scholis est contracta, Adde, quod publicæ institu-  
tionis forma dependeat à sapientia, & judicio totius Civitatis,  
privatæ verò modus ad unius arbitrium vertatur. Ut ut verò ra-  
tionibus hisce sua constet certitudo; Interim tamen salvo alio-  
rum relicto judicio, asseruerim, publicam institutionem non  
opponi privatæ, sed tantum subordinari. Utraq; enim stare pot-  
est, & florere debet: Modò parentes cautè egerint circumspi-  
cientes quibus concedant suos filios erudiendos, an sint puri-  
oris & γνησιως Lutheranae Religionis amantes Præceptores, &  
veritatis studiosi, integritate morum conspicui, an verò sint re-  
pidi, bilingues, fallaces, ὀφθαλμοῦργοι. Quemadmodum vider-  
mus non sine publico incommodo Esauitas non paucis Parenti-  
bus persuadere sapientiam transalpinam, facilitatem in infor-  
mando, se quasi quodam canali vel haustro semel & simul cu-  
mulum sapientiæ instillaruros, qua ratione parentes improvi-  
dos in suam pertrahunt sententiam, ut filios disciplina ipsorū  
submittant, dum in informanda pube temporis faciunt Com-  
pendium, & requirunt minus sumtum impendium, sæpè præ-  
sentissimum animabus accersunt dispendium, quem ipsorum  
dolū satis resectū produxit in apricum Meisnerus noster Theol.  
excellens. Discant a. inde parentes vel tandem fucum hūc sub-  
olere, nec sese amplius blando sermone circumveniri ab illis  
piratis patiantur, ne qua olivas & surculos suos Christo, arbo-  
ri vitæ insitos denuò evellant & fœdus in Baptismate initum re-



scindant, & seminaria Ecclesiae extirpent. Seminaria dico: in enim in semine posita est spes messis: ita salus Reipubl. ex institutione, quae tam in publica, quam privata Schola peragitur, dependet: quodque; iustitia in foro, pax domi, fonsque; Religio in templis floret, & augetur, cui quae so acceptum feremus, nisi Scholae? adeo, ut, quod in oculo pupilla est, in animo ratio, in corpore anima, id in qualibet Reipubl. Schola esse possit. Quod si exenderent parentes, dubium existeret nullum, quin plus summuum conferrent in suos filios, plus beneficentiae in praecptores, Herculeum labore sustinentes. Si discipuli praecptorum fidelitatem aestimarent, procul omni dubio eos amarent impensius gratumque; animum non modo verbis, sed & ipsissimo facto declararent, certo statuentes, Deo, qui nos creavit, parentibus, qui nos genuerunt; Praecptoribus, qui animum excoluerunt, & ex beluis fecerunt homines, nunquam sat gratiarum reponi posse.

Sed bene habet! Faciunt n. nobis spe optimam Discetes, optimam promissionem parentes. Quare vela Orationis meae Contraho brevi portum visurus, si prius Reverendos & Amplif. Dnn. Inspectores, Dnn. Collegas, ipsamque; juventutem Coronidis vice paucis compellavero. Ad vos igitur venerabiles Dominos Ephoros & Patronos me convertito, gratias agens, quod post habitis arduis negotijs astum hunc inauguralem, vestra honorificentissima praesentia cohonestare non estis dedignati, petoque officiose, ut mihi ope, consilio, & auxilio succurratis, me contra insultus hostium, contra osiores, contra injuriam & contra malevolorum livorem, si in me invidiae dentes acuunt, defendatis, idque faciatis pro vestra prudentia, ut Autoritas collegio Scholastico sarta tecta que; constet, siquidem, quod una mecum intelligitis, sine autoritatis axioma felices non procedunt institutiones. Ego vicissim me vobis devincio, obsequio, gratitudine, observantia. Et merito. Satis enim causae mihi est, cur immortales vobis accinam gratias, quod me, (quem ante octenium vestra liberalitate hic enutrivistis, vale-dicentem testimonio ornastis, abiturientem cum viatico dimisistis) jam revocetis, Florem vestrae Reipubl. mihi commendetis. Omini duo



mihi & laudī cuiuspiam quod huic præficiar Scholæ, quæ cir-  
dem tempus, quo Ego hujus mundi lucem primū adspexi,  
erecta, honestisq; adolefcētibus aperta est. Cujus habenas tenu-  
erunt, interea temporis Rectores tres *Dn. M. Casparus Haveland:*  
*Dn. M. Ioachimus Schlechter* (qui prius aliquot annis etiam vices  
Conrect. gessit, ) uterq; emeriti, p. t. Reip. Archæo-Brandeb. Se-  
natores benè meriti: & *Dn. M. Iacobus Grosse*: quorum *σύνεργοι* in  
Conrectoratu fuerunt: *Dn. Ioachimus Buchholtzerus*: p. t. Pastor  
in Ducatu Brunovic, *Dn. M. Iosephus Gætzius* p. t. Rector Schol.  
Magdeb, *Dn. M. Petrus Vehre*: & *Dn. M. Nicolaus VVolfius*: p. t. Ver-  
bi Pastores, quos hīc honoris causa nomino.

Cæterum & vos Præstantissimi, Humanissimiq; Dnn. Col-  
legæ & Amici honorandi paucis volo, rogans, ut pro ea, qua estis  
sinceritate & candore, me vestro favore & amicitia dignemini,  
mutuasq; tradatis operas, concordia inter nos ut vigeat absque  
simultate, & jucunda conservetur amicitia. Ego divina adjutus  
gratiâ me ita comparabo, ut gravis importunusq; sim nemini;  
contra verò gratificandi promptitudinem & officia qualiacunq;  
à me proficisci possunt, unicuiq; deferam.

Deniq; ad vos, Discipuli suavissimi, mea se deflectit oratio,  
in qua vos omnes, quotquot mihi jam assurrexistis, exhortor ad  
pietatem, ad diligentiam, ad obœdientiam, ad gratitudinem.  
Ad pietatem quidem, ut in vero Dei timore incedatis & precib;  
ad Deum præmissis studia vestra inchoetis. Ad diligentiam,  
ut credatis vos non minus otiosos esse, quàm in schola, in qua ni-  
hil loci segnitiae; nihil socordiae, quod arguunt radix Hebraea  
*שׁוֹנְנוּ*, & Origo Græca, *αολή*. Non enim turpi otio tædiū tem-  
is fallendum, sed liberali & honesto bonæ horæ insumen-  
sunt. Ad obœdientiam, propter mandatum Domini, Obedi-  
js, qui præfunt vobis, ut cum gaudio faciant officium, non  
pirantes. Ad gratitudinem, quæ non solum consistit in lar-  
onibus munerum, sed & in verbis & observantia, ut ubiq;  
d omnes honorificè de Præceptoribus sentiatis & judicetis;  
vos descendatis, vos excutiatis prius, quàm alios traducatis,  
ne fortè vana *Φιλαυτία* demendati vos ipsos admiremini, quasi  
ipsam Palladis arcem possideretis, vel Parnassum bicipitem  
conscendissetis, rerum multarum intelligentiam haberetis, &



quanti, quanti essetis nil nisi Sapiencia essetis. Hic amor, hæc admiratio vestri faciet, ut intelligendo nihil intelligatis; Cujusmodi turgidos homines reperias, qui meram sapienciam crepant, magnas sibi delicias faciunt, montes & maria promittunt, adeo ut nomina sua digitalibus literis Galaxiæ seu viæ lacteæ inscribi optent. Verum de vobis non dubito, quin has virtutes, ceu uniones aureo annulo insculptos, mentibus vestris sitis circumlaturi, modestiam & gratitudinem ostensuri. In qua parte jamdudum facem præluxit vobis Alexander Magnus, qui plus gratiæ & honos se debere Præceptoris Aristoteli, aiebat, quam parentibus germanis, cujus Herois vestigijs ut insistatis ratio suadet & pietas. Sed mitto hæc, Auditores; conversa Oratione ad venerandam Trinitatem, Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, qui est in medio nostri præsentissimus. Vos itaq; procidite mecum, hac vice in genua cordis, supplices adorantes, ut opera manuum nostrarum promoveat suâ gratiâ, & dum nos plantamus & rigamus, ipse det incrementum, & ad fines salutare provehat: Mecæneses suscite atq; Euergetas, suâ benedictione cœlitus nos perfundat in Ecclesiæ & Reipubl. salutem. Faxis o Deus, & provideas, ne doctrina Evangelij purior, quam Filius tuus è sinu Patris protulit, aliquid detrimenti patiatur. Sanctifica nos Domine in veritate, Verbum tuum est veritas. Iohann. 17. Custodi inter nos Religionis Orthodoxæ *Ἐκκλησίαν*: ne discedas è finibus nostris, neq; amoveas candelabrum de loco, propter 2. Tim. 1. ingratitude nostram, ne Satanas humani generis hostis juratus, illud *κευήλιον* depraver: Conserva hanc Scholam, ne dissipetur agmen docentium & dicentium. Hic gloria tua habitat: hic focus & ignis tuus est (licet non eo modo cœlitus demissus, quo Hierosolymis adservabatur) hic Officina Spiritus sancti est. Illam defende, ne blasphemetur; istum fove ne extinguatur; hanc fulei, ne intercidas, ad nominis tui gloriam & Reipubl. Christianæ ædificationem.

ψ. 90.  
1. Cor. 3.

Iohann. 1.

Iohann. 17.

2. Tim. 1.

Matth. 8.

Apocal. 2.

Esaiæ 31.

D I X I.

*Ἐπειδὴ τὰ τυπογραφ. quæ per occupationes & distractas cogitationes non potuerunt accuratè tolli, Candidus Lector, ut emendet amice rogatur.*





ec  
cu-  
re-  
ūt,  
in-  
es,  
cir-  
rte  
lus  
ām  
tio  
ne  
am  
ro-  
es,  
nos  
ta-  
di-  
L.  
am  
ur.  
ras.  
das  
ter  
ra-  
lif-  
bi-  
de-  
rus  
ex.  
  
1188

DS A 1426

ULB Halle 3  
003 777 960  



1317













  
 ORATIO POSTERIOR 38  
 ΠΑΡΑΙΝΗΤΙΚΗ  
 Qua  
**MEDIA QUÆ-**  
**DAM RECTE EDVCAN-**  
 di Liberos: juxtà atq; Requisita dextrè & fructuo-  
 sè informandi Iuventu-  
 tem,  
*In Actu investituræ meæ in medium adferre  
 conabar.*  
**M. SEBASTIANUS NEUBAUERUS**  
 Allstetensis Gymnas. Salder.  
 ConRector,  
  
 WITTEBERGÆ  
 ANNO M. DC. XIIX.  
